

Johann Sithmann Johann Jacob Schnürer


Disputatio Iuridica De Iustitia Et Iure

Stetini: Rhetius, 1649


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757400698>


Druck Freier  Zugang





V. K. 2 (165.)





DISPUTATIO JURIDICA
DE

44.
JUSTITIA
ET JURE,

Qvam

Aspirante divini Numinis gratiã

In Regio Stetinensi Gymnasio

PRÆSIDE

VIRo Consultis^o. & Excellentis^o.

DN. JOHANNE Sichmann / D. J. U.

Profesore ibidem Ordinario, Præceptore re-
verenter colendo, Fautore ævitatẽm
honorando,

*Publicæ Eruditorum ventilationi exponit, ac pro
ingenij modulo defendere
suscipit*

JOHANN-JACOBUS SCHNÜRERUS,

Zittã Lusatus

AUTOR & RESPONDENS.

In Auditorio majori, horis ab 8. matutinis
ad diem 20. Februarii.

STETINI

Prælo Rhetiano Anno Epochæ Christianæ

M DC IL.



VIRIS

*Nobilissimis, Excellentissimis, Amplissimis,
Consultissimis, Clarissimis,
Humanissimis*

DN. JOHANNI à KISLINGIO, U. M. D.
Patriæ Practico ut felicissimo sic famigeratissimo,
Affini suo amantissimo, Mecænati in ævū
suspiciendo, colendo.

DN. JOHANNI EICHLERO ab AURITZ,
inclytæ Reipubl. Zittaviensium Senatori gravissimo,
Civi ac Mercatori longè primario,
Affini & Fautori suo perpetim honorando.

DN. M. CHRISTIANO KEIMAMNO, Gymnasij,
quod Zittæ est, Rectori dignissimo, Præceptoris,
& Agnato suo observantissimo, Promotori
æterno cultu venerando.

DN. ANTONIO à KOHLIO, Senatori & Civi
præcipuo, Curatori, ac Evergetæ suo perpetuâ
veneratione prosequendo.

DN. JACOBO SCHNÜRERO, Civi integerrimo,
Parenti suo filialiter auscultando, deamando

*Hasce ex Jurisprudentiæ apicibus decerptas
theses, ac suas quales quales ingenii frugum
primitias ad aram VESTRÆ venerationis cum
arrha sua subjectionis devotè depositas sacrare voluit*

JOHANN-JACOBUS SCHNÜRERUS,
Autor & Respondens.

Jova Juva Studium!

PRÆLUSORIA.




Atum Syrophænix Hesiodus perquam limato sanè ingenio duas fingit esse Eridas h. e. contentiones, alteram hominibus noxi- am, alteram verò utilem. In priore ait, victor discedit ex certamine longè peior; in posteriore victus apprimè melior: illa namq; iurgiosas tumultuum rixas, hæc literarias velitationum exercitationes spectat; rixosam contentionem maximè subterfugimus, disquisitam collationem pro loco & tempore non negligimus. Nam sicuti faber Aegyptus & ferreos thoraces conficiens, de eorum firmitate sibi satis cavere nequit, nisi hastæ vel sclopeti ictum eos sustinere probârit. ita artium scrutator de sua scientia sibi nihil polliceri potest, nisi cum aliis à Phæbo meliori, Minervâ nobiliori efformatis commixtus, disserendo suæ doctrinæ certus reddatur. Quo fine & ego impræsentiarum publicavi hanc thesium lucubratiunculam non à multa luce, nec à multa litura, ex præcepto Venusini, coercitam & ad perfectum unguem vel decies castigatam: sed ut vides, fatum à matre rubentem, à manu adhuc calentem, vilem, exilem. Meum a. ingeniolum claustris extreme tenuitatis constrictum audaciæ ideò rectâ cervice consecrâsse autumas? absit! Elephantes, haut temerè amnes ingrediuntur, cum inscij sint natandi, iis tamen delectantur impense. Ita ego. Liceat in Olympicis ludis me spectatorem agere, aut si mavis, tyronem gladiatorem, ne otiosus ad Syrenum illecebras obsurdescere, voluptuosus inter Circæas pecudes squallefcere videar, cum nemo

ignaviâ factus immortalis, loquor cum Sallustio. Quoni-
 am verò sacramentum THEMISTAE augustissimæ de-
 di, tantam Divam macilentâ victimâ expiare, tantum
 Solem parvâ face adorare in animo erat, & hinc genera-
 lissima JUSTITIAE & JURIS principia in prioribus
 duobus titulis libri I. Institutionum Justinianearum com-
 prehensa, non Zeusidis penicillo, sed rudis Minervæ cala-
 mo adumbrare volui. Sit igitur, quod ipse JUSTITIAE
 Sol feliciter irradiet

Ad Tit. 1. Princ.

ASSERTIO I.



Um à nominis Origine ipsa natura rei, atte-
 stante Scaligero, exerc. 1. sect. 1. plerumq; manifesta eva-
 dat; nostrum erit anteqvam amplissima Justitiæ pen-
 tralia conscendamus, in ipso operis limine, ut Senecæ
 verbo utar, etymologiam vocabuli salutare.

2. Justitiæ igitur notatione grammaticâ deducitur à justo: nota-
 tione logicâ à jure, tanquam ab objecto suo generali. Nec obstat, jus
 iterû dici à justitia, ut vult Ulpian. in l. 1. ff. h. t. intelligit n. ibi per jus ar-
 tem juris, non jus constitutum; sicuti ex Celso Jcto subjicit: illud jus, quod
 à justitia appellari dixerat, esse artem æqui & boni, quæ eodẽ nomine
 & hîc & in l. 10. ff. h. t. jurisprudentiæ dicitur. Ut ita sit jus à justitia tanquã
 à fine juris sive jurisprudentiæ ultimo; & sic nihil contrarietatis impli-
 cat Ulpianus, Tractant hoc plenius Cont. 2. subsec. lect. 6. Ravard. 1. vari-
 or. 2. Vacun. 1. declar. 31. n. 4. Rusfard. in not. ad h. l. Rectissimè a. Gov.
 1. var. 18. & post eum Wefenb. ad pr. h. t. Aliis hæc disceptatio, an jure
 prior justitia otiosa videtur; nee utilior eã, quæ de ovo & gallina apud
 Censorinum. Charond. 1. veris. 1.

3. Consideratâ etymologiã rectâ progredimur ad definitio-
 nem: quæ à Triboniano hîc & Ulpiano in l. 10. ff. h. t. ita traditur: Justitiæ
 est constans & perpetua voluntas, jus suum cuiq; tribuendi. Ubi singula fe-
 rè verba, singula pariunt litigia. Nonnulli enim Juris Interpp. hanc de-
 finitio-

fnitionem juxta Præcepta Philosophica paulo subtiliùs quàm accuratiùs examinantes, diversimodas hallucinationes salebrasq; eunti longè infidas creârunt. Maximè igitur Delio natatore opus, ne quis in eorum Syrtibus Africanis istis deterioribus suffocetur, cum Socrate exclamatione. Ut a. Veritas definitionis magis elucescat, ei ex aduerso falsitates quorundam Interpp. opponere in animo est.

4. Ἐν ὑπερβολῇ peccare videntur Accurs. *b. t. Hotom. Inst. Enunc. i. eod. Vultej. Inst. ad h. t. n. 5. 6.* & in *Idea jur. Log. m. p. 10.* aliq; qui cum scirent, hominem in hac naturæ imbecillitate constiutum non habere *constantem & perpetuam voluntatem*: Sed eam unicè in solius Dei mente elucere, hanc ideò definitionem non de *politica* s. humana legali, sed de *theologica* & divina iustitia intelligendam esse voluerunt. Non videntes manifestam facere injuriam *Nov. 69. & Nov. 30.* ubi ipsemet Imperator iustitiam hanc legalem omnium perfectissimam inter virtutes humanas recenset. Quin &, ut quis theologicè sit iustus, nullâ hominis operâ, sed solius Dei gratiâ contingat. *Baron. ad l. 10. ff. h. t. Montan. hic. Mattheac. 1. de via jur. 15. n. 13. Muret. 1. Orat. 9. m. p. 82. Treutl. disp. 1. 1. h. t.*

5. Ἐν ἐλλείψει hallucinantur Coras. *de art. jur. par. 1. c. 22. & ad l. 10. ff. h. t. n. 6. Welenb. eod. Ant. Matth. in not. huj. tit.* & plures alij, e fugientes ad distinctionem in *concreto & abstracto*: quasi iustitia in se h. e. in naturali sua perfectione & puritate considerata, sit *constans & perpetua*: non verò quoad est in *subjecto* s. homine modò iustitiam, modò iniustitiam recipiente. Sed esse sine mente sonum, cuius apparet. Monstretur namq; uspiam iustitia extra subjectum, animum scil. hominis seorsim existens. Quod impossibile. Accedit & hoc, Jurisprudentiam non esse scientiam speculativam, in quibus hæc abstractio à suo subjecto locum invenit: verùm disciplinam practicam, cuius finis consistit in actione. Eleganter, ut omnia Heig. *ad h. t. n. 19.* quem vide.

6. Sed nostrum esto illud: *Din. adium plus toto.* Mediocritatem igitur amplexamur, & cum saniori Dd. Schola exclamamus, in definitione Iustitiæ vocabulum *voluntas* per Metonymiam subjecti pro adjuncto, accipi pro *habitu voluntatis*, per quem volumus iustitiam exercere & suum cuiq; tribuere, ac reipsâ tribuimus, nisi naturæ nostræ perversitate impediamur. Ut ita iustus ex mente *Arist. 5. Eth. 1. m. p. 190.* & *Cic. 2. de LL.* magis ex affectu quàm effectu, seu ex potentia potius quàm actu sit

judicandus; quia voluntatem cum potentate conjunctam requirit esse-
ctus. Don. 1. Comm. 16. & 2. Comm. 1. Pac. 1. qvæst. 4. Joh. Fehe in anal.
Inst. hic. m. p. 20.

7. Adhæc cum Justitia definitur: *voluntas constans & perpetua*, non intelligitur, absolutissima, quæ solius Dei est Mal. 3, 6. constantia: sed ista, quæ in hominem cadere potest, ac ab hac humanæ naturæ imbecillitate admittitur. Quippe talia sunt prædicata, qualia permittuntur esse à suis subjectis, ut docet Logica. *Constans* a. voluntas dicitur respectu actionis: *perpetua* respectu intentionis. Nam ex habitu perenni destinatoq; animi proposito firmâq; *πρῶταίτης* sine intermissione justè agens, demum splendidum J U S T I titulum meretur. Hoc est proprium hujus virtutis officium, à quo nunquam, quantum possibile, se dimoveri patitur: Si fractus illabatur orbis. Et hisce Imperatoris nostri definitionem, quoad ejus fieri potuit, defendere volumus. Consule Ant. Fab. in *Ration. ad l. 10. ff. h. t.* Giphani. *Inst. proæm. p. 4. & disp. 1. th. 3. n. 5. 6.*

8. Nonnulli tamen inter Neotericos etiam non ignobiles J Cti, hocneense nodum gordium penitus dissolutum, definitionemq; illam interpretatione ejusmodi, quâ meliorem tamen dari vix possibile, ab omni macula liberatam esse, non immeritò dubitârunt: præprimis cum in definitionibus, secundum doctrinam Logicam, utendum sit verbis propriis, non translatis, quia ista naturâ suâ sunt hisce clariora, imò etiam quia justitia non possit adæquatè per *habitu* definiri, utpote genus *remotius*; multominus per *voluntatem*, ceu *remotissimum*. Huc etiam facit, quod dicta definitio, non omnia tria juris præcepta, sed unicum illud: *suum cuiq; tribuere* in se contineat, & hinc strictior suo definito esse videatur.

9. Salvâ igitur Justinianæa definitione omninò per *virtutem*, ut genus *proximum* Justitiam definiendâ esse limatò sanè iudiciò illi censent, talemq; docendi causâ accuratam ponunt definitionem: *Justitia est virtus honestè vivendi, neminem lædendi, suum cuiq; tribuendi*: quam etiam Consult. & Excellentiss. Vir Dn. Johannes Sishmannus, D. J. U. Præses hujus Disputationis longè dignissimus, in suo prodr. Instit. *Disp. 1. th. 8.* exquisitè commendat, ad cujus subfellia & nos per omnia submisè transeamus.

10. Pensculatâ definitione, aggredimur ipsam divisionem. Ubi Justitia vel est *universalis*, quam Philosophus 5. *Eth. 1. m. p. 193.* cum Oratore 2. *de LL.* definit, quod sit obedientia erga omnes leges omnes virtutes in se complectens. Et hinc eam Lact. 3, *Inst. c. 22.* Matrem omnium virtutum dixit

dixit, cum illa, ut Betul, p. 197. hunc locum rotundè est interpretatus, reliquas virtutes tanquam filias in sinu & gremio suo foveat atq; exosculetur. Vel est *particularis*, quæ est obedientia erga eas solùm leges, quæ de rerum permutatione ac distributione bonorum præcipiunt: & hæc subdividitur in *distributivam*, quæ personarum dignitatis rerumq; æquabilitatis rationem habens munera & pœnas distribuit analogiâ *Geometricâ*; & in *commutativam*, quæ nullo habito respectu ponderat modò rerû in contractibus æqualitatem proportionè *Arithmeticâ*, ad quam etiam quodammodo referri posse distributivam non diffido, non habito respectu *personarum inter se, sed meriti ad personam*.

11. Quæstio hinc oritur, non perindè expedita, de utra justitia hoc in loco Justinianus senserit? Nos *universalem* definitam esse vel inde probamus, quod Imperator eam tractarit, quæ esset totius Jurisprudentiæ omniumq; legum adæqvatus finis, ad quem universa juris præcepta, tanquam ad scopum collimarent: jam verò ad justitiam *particularem* non omnes leges, nec omnia juris præcepta referri possunt: quia versatur tantùm circa rerum permutationem & distributionem; leges v. Civiles etiam secundam unamquamq; virtutè vivere præcipiunt. Spontè itaq; sequitur non *particularem* sed *universalem* hîc definiri justitiam, attamen non quâ talem in *re Considerata*, sed *modo considerandi* juridico, quod contra quosdam limatiùs ita restringendum.

Ad §. I.

12. Præcognitò juris fine, sequitur jus ipsum. Vocabulum a *juris* esse *πρόσημον* in proptulo est: cujus varias significationes vide in *l. per.* ff. b. 1. & apud Vultej. *Inst. §. 1 h. 1. n. 2.* Donell. *I. Comm. 3. & 4.* & alios. Hoc loco *jus* idem est ac jurisprudentia. Definitio in textu est ejusmodi: *Jurisprudentia est divinarû atq; humanarum rerum notitia justis atq; injustis scientia.* Quam definitionem per plures Interpp. variè imò diversimodè exagitarunt.

13. Nostrum de ista tale esto judicium. Præfractè quidem non affirmamus, Justitiam *proprie & strictè* loquendo *notitiam* esse: cum cõstet ad eam consequendam vel maximè opus esse habitu: & scintillulas diviniæ mentis, ceu primas notitias adhuc nobis infitas minime sufficere: cum verè & civiliter justus sit is, non qui *naturaliter*, sed *habitualiter & virtualiter* justè agit. Nec *proprie scientiam* esse credimus, quia Jurisprudentiæ finis ultimus est non scire & contèplari, sed agere & operari, nempe *honestè*

neque vivere: neminem ledere: suum cuique tribuere. Instit. his. Cum tamen scientiarum ultimus finis consistat in contemplatione tantum, Zabar. de nat. Log. c. 2. p. 3. neque nostra hic erit distinctio illa minus profecto subtilis ac Philosophica inter scientiam practicam & contemplativam: nam disciplinam practicam scientiam verbo illò propriè acceptò appellare est contradictoria loqui.

14. Si igitur hanc definitionem ad exquisitam iudicii stateram veritatisque trutinam, ceu ad Lydium lapidem exactè applicaturi sumus eam non adeò accuratam esse, animadvertimus: sed quia Justinianus in lib. Instit. omnia levi & simplici methodò, ut maximè fieri debet, juventuti propositurus erat, non tam anxius & curiosus fuit in harum vularum proprietate, quod fortasè ejus auctoritatem, aliqua in parte excusatum dabit. Et quis Thrax ille, qui Imperatorem, quod in tot misis jaculis unum fortè à scopo paululum aberrare sit passus, adeò insolenter culpam fatagat.

15. Esto ergò iterum docendi causà hæc Jurisprudentiæ definitio: *Jurisprudentia est habitus justitiam administrandi.* vel ita: *jus est prudentia rerum divinarum atque humanarum justitiam exercendi.*

Ad §. 2.

16. Expositis Justitiæ & Jurisprudentiæ definitionibus, Imperator ostendit methodum, quæ hæc tradenda. Est autem illa in Institutionibus non *synthetica*, ut vult Wesenb. *parat. hic. n. 2.* sed *analytica*, quia in disciplinis practicis, ut hæc nostra est, à notione finis progressus fit ad notitiam mediorum, quibus subjecta finem illum consequuntur. Finis autem juris ultimus, ut diximus, est *justitia*: Objecta sunt *personæ & res*, in quibus justitia introducenda: Media sunt *actiones legales*, per quas justitia in subjecta introducitur.

17. Sed quæ methodo reliqui libri juris à Compileribus sunt confecti? In *Pandectis* ordinem prudentiæ non diffitemur, methodum exactam negamus, ajunt communiter Dd. quia potissimum ordo *Perpetui Edicti* pro norma fuit *l. 2. ff. de stat. hom.* Confer ea, quæ habet Donell. *1. Comm. 1.* & Muret. *in pf. comm. de Orig. jur.* In compositione *Codici* plerumque observatum est, ut rescripta Imp. eo ordine collocarentur, quo ipsi imperarunt. *Novellæ* Constitutiones, non pro ratione rerum, sed temporum, quo latæ, sine ordine sunt digestæ, uti refert Delr. *l. 2. de princ. jur. p. 52.*

18. Quid

18. Quid dicendum? Methodum *dare Juri* & methodum *dari in jure* diversa sunt. In *illo* infructuosius allaborant Dd; ac in *hoc*. A textu & fede materiarum abducunt, quicunq; juri translatam & peregrinam affringunt, propriam verò in ipsius Juris medullis hærentem methodum negligunt: Non malè quidem rem acu tetigisse videtur in ff. & C. Schmuckius in *Synopsi*; proficuunq; certè foret, si ad facilitandū negotium opera huic adderetur operæ. Ubi & advertendum Novellas Constitit. legibus ff. & C. in dubio minimè derogare vel eas abrogare, nisi in præfatione Novellæ præmissæ vel ex contextu vis derogatoria expressè vel appareat, vel eliceri possit, alias jura anteriora vel confirmare, repetere, aut renovare. Rittershus, p. 12. c. 11. n. 6.

Ad §. 3.

19. Seqvuntur in textu *præcepta juris*, non quidem *particularia*, quæ penè infinita, & suis locis tradi debent: Sed *universalia*, quæ tria sunt: 1. *honestè vivere*: 2. *neminem lædere*: 3. *suum cuiq; tribuere*. Quæ tria reverà à se invicem distincta esse, nec primum continere duo posteriora contra Don. 2. Comm. 1. asertum imus: quia testimonium inter patrem & filium prohibetur tantum ex primo l. 6. de testib. l. 11 C. eod. & Inst. de nupt. §. 9. Nec à secundo reliqua pendere, in sententiam Ant. Fab. Ration. ad t. 10. ff. h. t. transeunt, affirmamus: cum satis non sit ut malum vitemus, sed requiratur hoc amplius, ut etiam agamus, quod bonum est. Psal. 34. 15. Neq; tertium suo ambitu duo priora complecti, ex quo errore Hot. Inst. En. ad h. l. pendet, statuimus: quia non sufficit, suum cuiq; tribuere, nisi ex honestate & dilectione proximi tribuamus. Casum si desideras, habes in l. bona fides 31. ff. §. 1.

20. Quomodo autem hæc tria præcepta à se invicem sint distincta, multifarias recenset interpretationes Don. 2. Comm. 1. & Hunn. Var. Resol. l. 1. Instit. tr. 1. quæst. 16. quæ tamen omnes in effectu propè conveniunt. Unam addimus ex Claud. Dav. in velit. leg. ad h. t. §. 3. qui ait: primum præceptum *libidini* opponitur, quæ voluptates; alterum *ira*, quæ ultionem; tertium *cupiditati*, quæ opes desiderat. Hæ tres furiaæ humano generi molestissimæ. Improbandum autem hoc loco Hot. Inst. En. ad h. §. & Mercer. 2. Opin. 2. quorum ille his præceptis triplex Juri; hic Magistratûs jus dicentis officium denotari somniat. Sed quomodo sunt præcepta juris & quidem summa, si non quemvis obligant? Maximè ad omnes pertinent & secundum ea singuli universè vivere tenentur. Hinc

B

& juris

& juris ignorantia cuiq; nocet regulariter l. 9. in pr. & §. fin. de jur. & fact. ignor. Padill. in l. 2. C. de rescind. vend. n. 56. Treutl. I. Disp. 1. th. 3. & 2. Disp. 4. th. 13.

Ad §. 4.

21. Tribonianus hinc & Ulpianus in l. ff. §. 2. commemorant duas hujus artis positiones i. e. duo principia s. fundamenta: utilitatem sc. publicam & privatam. Et hinc oriuntur duæ juris species (quia utilitas est iusti propè mater & æqui, referente Horat. 1. Sat. 3. m. p. 251. & jus est τὸ κοινὸν συμφέρον quod communiter utile est, teste Aristotel. 3. Polit. 8. m. p. 194.) nempe jus publicum & privatum: quorum illud per se & principaliter spectat utilitatē Reipubl; hoc singulorum Civium. Dico principaliter, nam aliàs consequenter utilia privatim etiam sunt utilia publicè & contrà. Atq; ita rectè dicitur Reipubl. interesse, ne quis re suâ malè utatur 1. Instit. §. 2.

22. Jus publicum bifariam capitur: aut enim est publicum auctoritate, quod cum singulis utile sit, nihilominus à publica pendet auctoritate, ut tutela 1. Inst. 25. pr. & testamentifactio l. 3. ff. qui test. fac. poss: aut est publicum utilitate, quia spectat ad statum Reip. veluti quæ de legibus, Magistratibus sunt constituta, & hæc posterior acceptio hujus loci propria. Aliter Zas. ad l. 38. de pact. n. 2. qui quatuor modis jus publicum ul. dici,

23. Jus publicum, quod Imperator hinc non perstringit, potissimè consistit in sacrorum & profanorum constitutione. Ad sacra spectat pietas, religio, apud Ethnicos gentilis; apud nos Christiana, h. e. verbo Dei & quatuor symbolis fidei, arg. t. t. C. de ss. Tr. n. seqq. Augustanæq; Confessione anno 1530, exhibitæ maximè consona. Transactio Passaviensis anno 1555. in Comitij Augustanis habita, quam Papa hodiè frustra camnari allaborat. Fac. Jus Canonicū, quod Decretis & Constitutionibus Ecclesiasticis continetur. Videatur Petr. Greg. in meth. parv. lib. 2. c. de rebus div. jur. & l. 2. synt. jur. tot. Ad profana pertinet Magistratus, cuius est de rebus ad statum Imperij Romano-germanici utilibus deliberare. Quod spectant tituli 9. 10. 11. usq; ad fin. lib. 1. ff. & à lib. 49. tit. 14. ad b. 50. per totum ferè & 3. lib. C. ultimi. Hodiè A. Bulla Caroli IV. Capitulationes Cæsareæ, Recessus Imperiales, Reichs-Satzungen vnd Abschiede. &c. Bodin. lib. 1. de Rep. Treutl. I. Disp. 1. th. 4. Quin & novissimis tractatibus Osnabrugensibus moderni juris publici nova jacta esse fundamenta, Instrumentum Pacis inter Imperatoris, Statuū, & Regios Svecicos Pleni-

Plenipotentiarios contractum & Osnabrugis anno 1648. 27. Julij publicè approbatum edocet. Cætera, quæ in communi ac singulorum hominum societate versantur, sunt juris privati.

24. Jus privatum, de quo Justinianus hîc tantum agit, est, ceu diximus, quod ad singulorum utilitatem pertinet. *Privatum* autem dicitur ratione *objecti*, quod in civium singulorum rebus atq; bonis sit occupatum, *Vult. ad h. §.* & ratione *finis* utilitatis privatae, quæ à publica sic differt (nisi consequentiam spectes ex th. 21.) ut res singulorum à rebus universitatis. *Duar. ad h. l. c. 4.*

25. Et hoc quidem ex præceptis naturalibus, gentium, & civilibus conflatum esse, textus ait: nequaquam v. in eam vesania cum Alciato *1. parerg. 3. Loriott in tr. de jur. & ejus spec. 22. 26.* & aliis incidendum, ut jus privatum duntaxat tripartitum & ex hisce principiis collectum esse crederemus. Falsum n hoc. Utrumq; quæ publicum quæ privatum inde exortum evincunt sequentia: quia fundamenta ipsius principatus l. formæ Reip. administrandæ, cum ex naturali, tum ex gentium jure desumi debent. *Lips. 2. polit. 2. Bod. l. 6. de Rep. c. 4.* imò quia etiam Romani in constituendis sacris, in ferendis legibus, & similibus ad jus publicum spectantibus cum Græcis aliquid habuerint commune: quum præsertim jus faciale, augurale, & Senatorium magnâ in parte ab Atheniensibus & Lacedæmonijs *1. Inst. 2. §. non in leg. à Rhodijs ff. de leg. Rhod.* aliisq; sint mutuati. Adde, quod ex lumine naturæ DEUM colendum, Magistratui obtemperandum, Parentes honorandum scimus: adde quod maris & feminæ conjunctio, sobolisq; procreatio sit juris naturalis *1. Inst. 2. pr.* at etiam juris publici *l. 1. sol. matr. Ad. Hotom. hî. Agric. 2. de Inv. c. 5. Gæd. ad l. 6. n. 11. de verb. sign.* Quoniam verò Imperator de jure privato duntaxat acturus erat, id, quod commune fuit utriq; accommodavit alteri: quod in jure haut insolitum esse, testis est *Vult. ad h. §. 1. n. 2.* sed hæc hæc tenus: sequuntur ipsa tria juris principia.

Ad Tit. II. Princ.

26. *Jus naturale* definitur, quod natura omnia animalia docuit: quæ definitio miserè torsit nonnullorum Saturni concoctorum ingenia; è quorum censu præprimis *Alb. Gent. 3. lect. 1. Loriott. de jur. art. tr. 10. ax. 30. Forc. dial. 37. n. 3.* qui nescio quæ superstitione, vocola naturæ ex significatione propria hîc intelligendam esse crediderunt: itaq; Platonicos & Pythagoricos, homines cum bestiis jure sociatos esse statuentes, teste *Turneb. in t. Cic. de LL. f. 109.* ab inferis excitârunt, pariterq; jus naturale brutis attribuerunt.

27. Sed eos brutis animantibus non præstare, imò ipsis brutis magis
brutos esse sine injuria censemus. Cum in confesso sit, jus accipi vel *proprie*,
vel *improprie*: illud dicitur de hominibus, hoc de brutis. Ut enim
vitæ communio maximè propria est hominum, in quibus solis ratio &
sermonis communicatio reperiuntur, teste Arist. 1. Polit. 2. m. p. 14. ita jus
proprie dictum, hominum est proprium, quod argumento à contrario
confirmatur: quia injuria, quæ juri est contraria Inst. de l. Aqu. & inj. pr.
proprie loquendo in bruta non cadit Inst. si quæd. paup. sec. & l. 1. ff. eod. §.
ait prætor: verumtamen quasi injuria judicatur, ita ut Dominus anima-
lis, quod alterum provocavit ei; nocuit, jure obligetur d. l. 1. ff. cum ariet.
Adde quod inter feras nulla sit æquitas, consequenter etiam nulla juris
communitas, Don. 1. Comm. 6. Bronch. cent. 1. ass. 1.

28. Minimè verò diffitemur, bruta in actionibus nonnullis natu-
ralibus excellere; imò homines etiam sedecim, ut ajunt, pedibus inter-
dum superare. De eqvo quodam præcellentis naturæ peritiâ prædito
mirabunda refert Varr. lib. de re Rust. De Elephantorum probitate, pru-
dentiâ, æquitate, aliisque virtutibus stupenda narrat Lips. epist. 50. Cent. 1.
m. p. 54. De canum fidelitate habet Camer. hor. subs. t. 1. c. 2. Qui plu-
res nugas & nebulas in pariete pictas expetit, adeat modò Plutarchi
opusculum, cui Gryllo (hei quantum nomen!) titulus factus. Nos in hi-
storiis interdum quædam majora verò esse, non negamus. Ut nemo
quod audiit, taceret: Sic nemo quantum audiit, loquitur. Interim distin-
gvèdi hîc sunt invitationes, impetus, conatus, vis, actiones quæ naturales à jure
naturali: neque omnia, quæ sunt juri naturalis fiunt jure naturali: coeunt
bruta, foetus enutriunt ex naturali instinctu, non verò ex jure naturali.
Stat enim firmum: ubi deficit anima rationalis, ibi neque sedem juris esse.
Brutis autem rationem quis rationalis attribuet? Ergo etiam *δύστηξ ἐστὶν*
ἐν ἀνοσίῳ, ut Hesiodus canit; nisi *κατὰ χηστῆν ὤσῃ*. Bellè ad hunc locum
Covar. in C. peccat. de reg. jur. in. 6. p. 2. relect. §. 11. Jus naturale materiali-
ter, quantum ad actus, brutis commune est: formaliter quoad rationem
juris longè fecus. Adde Giph. Disp. 1. th. 22.

Ad §. 1. 2. & 3.

29. Meritò hîc *δύστηξ* Cujacii 15. Observ. 33. ex Gajo in l. omnes
pop. h. t. desumptam amplectimur, & omne jus vel in naturale, vel in ci-
vile commodè dispescimus. Jus naturale f. gentium iterum dividimus,
vel in primævum, aliis ingenitum, quod naturalis ratio inter omnes ho-
mines

mines constituit, & apud omnes populos *per æquè* custoditur: h. e. ferè apud omnes populos, hæc enim particula rectè suppletur propter pravyos mores populorum quibusdam præceptis juris gentium non utentiù, ut cum Lacedæmonij & Ægyptij probârunt furtum, teste Agellio *l. 11. Noct. Att. c. 18.* quod est naturâ i. e. jure gentium probrosum *l. probr. 42. ff. de verb. sign.* vel in *secundævum*, aliis *excogitatum*, quod usu exigente humanis necessitatibus est adinventum, & in specie jus gentium nominatur: nec à jure primævo *realiter* sed *rationaliter* tantùm differt. Eodem sensu distingvit inter *jus prius & posterius* Zas. *in parat. b. t. n. 10.* & inter *superius & inferius* Althus. *1. Jurisp. 1.* quam litem nostram non facimus.

30. Ad jus gentium primævum pertinent religio in Deum: pietas in patriam: obsequium in parentes: Charitas in liberos, eorumdemq; *enutritio* & educatio. *Inst. b. t. pr.* Et hinc non leviter peccant nonnullæ Nobilium mulieres, quæ etiam extra casum necessitatis infantulos suos lacte nutricum, meretricum sæpiùs, alere patiuntur. Sententiâ Philosophorum receptum est: lac maternum meliùs nutrire quàm alterius; ad stipulatur Galen, & Colum. *l. 7. de re rust.* nutrimentum vertitur in nutriti substantiâ, sicuti ovis à capra lactata magis hircit, reclamante experientiâ. De quo graviter Hænon. *Disp. 1. th. 9.* Arnif. *in Polit. c. 19. p. 427.*

31. Ad jus gentium *secundævum* spectant omnia humana inventa, ut commercia rerumq; commutationes, omnes contractus, (exceptâ *stipulatione, emphyteusi, literarum obligatione, sponsalitiâq; largitate*) bella, captivitates, servitutes, manumissiones, aliaq; sexcenta. Quæ omnia, etsi juri gentium primævo sunt contraria, secundævo tamen probantur: nec propterea jus primævum contrarium est secundævo, servitutem verb. gr. probanti: quia non probat ut rem per se bonam, sed tolerat tanquam minus malam, cæde i. e. ne captivi occidantur; verùm servantur & vendantur, quod etiam Lyricum non subterfugit:

Vendere cum possis captivum, occidere noli. Hor. *1. epist. 16.*
m. p. 393.

32. Jus verò Civile κατ' ἐξοχήν ita dictum est, quod quisq; populus sibi constituit: & dispescitur in textu §. 3. in *scriptum* & *Non-Scriptum* Scriptum dicitur quod publicè sancitum est: Non-Scriptum, quod publicè sancitum non est: sed tacito duntaxat utentium consensu approbatum, licet literarum monumentis sit consignatum. Scriptura n.

B 3

non

non est de forma legis *substantiali*, sed *accidentali*; neq; facit ad legis *essentiam*, sed *existentiam*. Exemplis res clara. Leges apud Lacedæmones jubente Lycurgo, in scripturam redactas non esse, autor est Halic. *lib. 2.* & *Inst. §. 10. h. t.* ac propterea auctoritatem legum perdidisse, quis affirmaret? Sic consuetudines feudales, licet ab Oberto de Orto & Gerharo de Nigro literis sint mandata, tamen appellationem consuetudinum eo ipso non amittunt, nec fiunt jus scriptum. Forst. *part. 1. disp. 1. th. 34.* Wefenb. *C. de LL. n. 5.* qui tamen sibi contradicit in *parat. ff. de LL.* Omnium pulcherrimè Vultej. *ad §. 3. h. t. & l. 1. feud. c. 1. n. 4.* Esse igitur scripturam *adjunctum plerumq;* necessarium, non diffitemur, cum hodiè absq; scriptura vix & ne vix quidem lex possit promulgari, omnibusq; sub imperio Rom viventibus innotescere Treud. *Disp. 1. th. 5.* Sequuntur hujus Juris scripti *sex species.*

Ad §. 4.

33. *Lex est sanctio, quam populus Romanus Senatorio Magistratu* (veluti Consule) *interrogante constituebat.* Rectè veluti, quod & alij essent Magistratus Senatorij, præter Consulem, qui interrogarent, puta Dictator, Interrex, Prætor, Triumvir, Magister Equitum, Præfectus Latinarum feriarum causa, quæ de re videndus Ant. Aug. in *lib. de LL. c. 7.* Hoc muneris autem rogare legem consulum erat *ordinariorum*, qui *Calendis Januariis* creabantur & Fastis numerum dabant. Sveton. in *Cæsar. Aurel. Casiod. in Chronol. Coras. ad §. exactu 4. ff. de O. J. non extraordinariorum*, qui ab Imperatoribus pro lubitu *Calendis Martij & Junij* eligebantur neq; fastis annumerabatur Coras. *ad §. exact. ff. de O. J.* Modum legis ferendæ apud Rom. brevi penicillo hic appingimus. Magistratus, quibus solis cum populo agendi jus erat, legem trinundino per præconem promulgari in foro jubebat, ut tertio die comitia haberentur: in quibus populus suffragia, nullò intercedente tribunò in urnam mittens legem latam aut approbabat, aut antiqvabat. Approbatam juramento universi confirmabant; confirmatam in æneastabulas, ut passim apud Halicarn. & Forner. *1. select. 24* apparet, incidere solebant, Plenius apud Liv. *dec. 5. l. 15.* Conn. *1. Côm. 13.* Grapald. *1. 2. c. 3.* & Manut. *lib. 6. antiq. Rõ.* Hodierno die in Comitibus Imperialibus legem universalem condit Imperator cum assensu & consilio Electorum, Principum, & Civitatum Imperialium; unde iisdem legibus & ipse Imperator tanquam ex contractu cum

ctu cum Statibus Imperij inito tanto fortius obligatur. Videatur
Trentl. 1. Disp. 1. th. 5.

34. Plebiscitum est ius, quod plebs plebejo Magistratu (i.e. Tribuno)
interrogante consuebat, in Comitibus tantum tributu, non centuriatis
aut curiatis. Et hinc initio solam plebem astringebat, illisq; rogationi-
bus, inquit ille Noct. Atticarum eruditissimus l. 13. c. 27. ante patritii
(qui siue majorum, siue minorum gentium, appellatione non veniebant
Revar. 3. conj. 7.) non tenebantur: donec successu temporis legi, non qui-
dem ex causa efficiente, sed effectu, vi & potestate est exaequatum, ut po-
pulus universus non minus teneretur plebiscitis atq; legibus à se latis ex
ege Hortensia, quam tulit Q. Hortensius Dictator pro furore plebis in
janiculum secedentis compescendo. Et tunc temporis ab U. C. CCCXI
ann. Aristocratia Roman. in Democratiam abire coepit. Hodie trans-
formatà Republ. ejusmodi plebiscita, non amplius habentur: sed consti-
tuuntur Statuta Municipalia, Eigen-oder Stadt- Recht cum consensu
Senatus Municipalis, nisi illorum praedictum tantum concernant quò
alio non Jure Statuti, sed Conventionis obligari videntur, Bachov. vol. 1.
lisp. 1. th. 9. lit. d. in fin. Sic tribus quoq; & familiae Statuta condere pos-
sunt Denais. in jure Camer. rubr. 16. Utroiq; tamen tutius est Statuta
in Senatu Civitatum vel etiam à Principe loci (nisi levisissimi sint momen-
ti) confirmantur. Scrad. ad §. constat. 3. n. 3. Inst.

Ad §. 5.

35. Senatusconsultum est, quod Senatus jubet atq; constituit. Ubi
sciendum, duplici modo Romanos celebrasse S. C. ta: vel per discessionem,
cum senatores certe (qui vid. jus s. rationem sententiae habere diceban-
tur, unde jus 2. 3. 4. relationis) vota darent, caeteri in eorum sententiam
pedibus irent, qui inde pedarii, si Zas. h. l. credimus, sunt dicti: aut si Cors.
indag. 21. audimus, quod pedibus itarent in curiam sella curuli non ad-
sedi. Vel per collectionem, cum singuli Senatores rogabantur sententias,
q; praecipue in rebus arduis. Conn. 1. Comm. 14 Gell. 4. Noct. 17. Cum
rogatus Senator dicere sententiam vellet, asurgebat stansq; dice-
bat. Cic. ad Attic. 1. Caeteri qui non erant Senatores, licet ma-
iores in Urbe gererent Magistratus, non nisi per discessionem senten-
tias ferre permittebantur, quod & liberum erat ipsis Senatoribus,
quoties modestiae causa, aut in honorem majorum ac Seniorum
senten-

sententiâs prolatas vel nutu, vel per discessionem in partes euntes approbarent, aut Senatûs Principe, qui pro tempore Senatûm habebat, priûs sententiâ proloquente in causis minus arduis tam Senatores, quàm non Senatores promiscuè in ejus sententiâ pedibus irent. Cui rei admodum in Historia difficili magnam ita lucem confert. Dion. Halicarn. lib. 2. Hodiè talis Senatûs non est propriè; æquippollet tamen ei Senatûs Imperii, die Reichsstände, ex Electoribus, Principibus, & Civitatibus Imperij collectus,

Ad §. 6.

36. *Sed & quod Principi placuit legis habet vigorem:* idq; ut additur in textu, factum esse lege Regiâ, quâ populus Rom. in principem omne imperium suum & potestatem transtulit, non quidem voluntate spontaneâ sed coactâ, quod luculentissimè testatur Svet. in *Cæs. & Calig. Dio in August.* Lex Regiâ autem dicitur vel à causa efficiente, quia condita est à Rege: vel à materia, quia est de regno seu imperio. A quo verò sit lata maximè disceptatur à Dd. nos Clar. & Excell. Dn. Præsidi adhaeremus in suo *prodrom. Disput. 2. th. 28.* qui repetit prima L. Regiâ fundamenta à Romuli regno, qui & populo tria summa jura concesserat, *leges condere: Magistratus majores creare: Belli & Pacis,* decernente Rege, *habere arbitrium,* quam populi potestatem unâ cum prærogativa L. Regiâ Romulejanâ Imperatores deinde de facto sibi asseriverunt. Fundamentum hujus asserionis desumitur ex Livio *decad. 4. lib. 4. ibi: Quid vetus Regiâ Lex, simul cum ipso Vrbe nata.* Et Halicarn. lib. 2. Hæ a. Principum Constitutiones sunt vel *generales* quæ omnes obligant; quarum tres species recenset hîc Imperator, ut I. *Edictum* est, quod Princeps, vel ex semetipso, vel (ut Pontificij Juris Dd. loquuntur) motu proprio; vel aliquo suggerente publicè proponit observandum, Vult. i. *Jurispr. 2. n. 7.* Exempla sunt in *l. 8. de quæst. l. 13. de jur. fisc. l. 15. ad l. Corn. de fals.* Cujusmodi etiam sunt tredecim illa Justiniani edicta in Corp. Jur. post Nov. posita. II. *Decretum* est sententiâ à Principe lata causâ cognitâ: qualia sunt *ll. C. plerâq;.* Est autem vel *cum clausula,* vel *sine clausula justificatoria,* de qua videatur *Ord. Camera. p. 2. t. 23.* III. Epistola, quam alij *Decretis* annumerant, est *Rescriptum Principis* ad consulentes emissum. Cujusmodi Rescripta, annotationes Principum, sive & pragmaticæ sanctiones, semper sub ea conditione ac clausula emissæ intelliguntur:

guntur: *Si preces veritate nituntur l. 7. c. de divers. Rescript.* Aliàs per
Sub & obreptionem supplicantium impetrata ex ipsorum Principum vo-
luntate habentur, ac si obtenta non essent *l. 5. c. Si cont. jus vel util. No-*
vell. 82. c. 13. Et ille qui illufor Juris & Majestatis hujusmodi Rescriptū
petiit, ambitūs crimine damnatus tertiâ parte bonorum confiscatâ in-
famix laborabit. *l. 1. C. de SCtis.* Confer *l. 7. C. de precib. Imp. offer.*
Constitutiones verò *Spectales* sunt, quæ de singularibus personis vel
causis constituuntur, ut ad illas solas pertineant, nec ad exemplum tra-
hantur; aliàs dictæ *privilegia*, de quibus enodatè Bodin. *1. de Repub. 19.*
quo angustæ nostræ pagellæ lectorem benevolè remittunt.

Ad §. 7.

37- *Prætorum Edicta non modicam obtinere juris auctoritatem* hic
textus ait. Ubi notandum, edicta hæc jus appellata esse, non leges. Præ-
tor enim non legis, sed juris tantum condendi potestatem habuit. Erant
autem *edicta* illa primitus *annua*, poteratq; novus Prætor edictis Ante-
cessoris planè neglectis ex novis edictis jus dicere: Posthac coeperunt
post annum; imò deniq; L. Corneliâ etiam *ad vitam* Prætoris observari
& cum jure civili conjungi. Postremò autem cum hæc edicta magnâ
laborarent confusione, jussu D. Hadriani Imp. Jctus Salv. Julianus ex
omnibus edictis extantibus selectum *volumen centum* libris constans con-
gesfit, quod *Edictum Perpetuum* dicebatur, & ad hujus methodum dein-
de ff. sunt compositæ *l. 2. ff. de stat. hom.* Vox autem *Prætoris* h. l. acci-
pienda *generaliter*, pro quovis Magistratu jus secundum jurisdictionem
suam dicente, ut rectè monet Ant. Contius *2. lect. 19.* Cæterum *Ius*
Ædilitium, quod Ædiles Curules constituiebant, *honorarium* dictum est
propter Magistratûs honorem: non autem *prætorium*, nisi impropriū
nomen verbo affrices. *Ædiles* verò dicebantur ab *ædibus*, quarum cu-
ram gerebant *l. 2. ff. de orig. jur.* Varr. *4. de ling. lat.* Curules autem à
fella *curuli*, quâ utebantur tanquam Patricii Magistratus; unde etiam
distinguebantur ab ædilibus plebeis. Liv. *in fin. l. 6. & pr. l. 7.* De qui-
bus hi jura dixere, docet *tit. ff. de Ædil. edict.* fufius Sigon, *1. de judis. 3.*
circ. fin.

Ad §. 8.

38. *Responsa Prudentum*, sunt sexta & ultima Juris Scripti species.
Ubi sciendum ab Augusti tempore usq; ad Justinianum nostrum per
DL. annos maximam fuisse Jctorum auctoritatem: postea verò cum
C
Justi-


Justinianus omnia eorum Responsa in corpus Pandectarum redeget; Icti non amplius respondebant instar legis, sed ex legibus. Et hinc hodierno die *probabilis* tantum non *necessaria* juris ratio iis responsis attribuitur, adeo ut qui duo responsa pro se adducit, probabilem litigandi causam habere praesumatur, ut si forte causa cadat, ab expensis sit absolvendus. Hanc autem de jure respondendi eaque interpretandi potestatem hodie Dd. in Academiis à Pontifice vel Imperatore confirmatis rite promoti, ratam habent. Jac. Middendorp. *tract. de Acad.*

Ad §. 9.

39. Haecenus de *Jure scripto*, sequitur *Jus Non-scriptum*, quod publice non est sancitum, sed tacito modo populi consensu approbatum, ut *in th. 32.* exposuimus. Consuetudo igitur est tale *Jus Non-scriptum*, quae, ut pro jure habeatur, tribus gaudet requisitis, 1. *Principio rationalitatis* h. e. ut fulcita sit ratione naturali & civili *l. 39. de ll. 2. actuum frequentia* & 3. *diuturnitate temporis*, quod utrumque, quia nullà lege definitur, arbitrio judicis relinquendum censemus, qui pro rei qualitate circumspectè de his aestimabit, an tantum temporis decursum sit, ut virium satis habeat consuetudo, referente Wesenb. *in parat. ff. de ll. n. 9.* Rectè autem consuetudinis praescriptio mensuratur, ad res naturà suà & de jure civili expresso praescriptibiles, aliàs Officium Judicis hic sapere perniciosè erraret. De jure Canonico ad consuetudinem praeter jus introducendam tempus decennii sufficit; si contra jus, praescriptione annorum 40. opus est. Geil. 2. *Observ. 31. n. 2.* De jure Saxonico praescriptè requiritur spacium annorum 31. septimanarum 6. dierum 3. *Landrecht lib. 1. art. 29. & art. 33. & gl. Weichbildt. art. 4.*

Ad §. 11.

40. Variè se torquent Interp. super hunc §. 11. quomodo jus naturale sit immutabile, nos breviter dicemus. Jus naturale, quatenus tale h. e. *gentium primævum solum* est immutabile quoad thesin: Jus *gentium secundævum aliquando* est mutabile, veluti quod ad servitutem pertinet, & multa alia: Jus *Civile* verò saepius mutatur, vel tacito consensu populi, i. e. desuetudine seu contrarià consuetudine, vel contrarià lege latà, vel aliis modis. Semper autem jura posteriora si contraria sint, & clausulam habeant abrogatoriam vel derogatoriam, prioribus derogant vel ea abrogant *ff. de Const. Princ. l. ult.* Ergò jus naturale est *omnino immutabile*: Jus Civile *omnino mutabile*: Jus gentium *partim* mutabile, *partim* immutabile. Et hinc jussu Platonis acqviescimus.




O fers hoc studium propriò SCHNÜRERE
paratum

Ingeniò. Dicam laus ea quanta tua:
Ut Nostræ Divæ primus, seu ture litâsti;
Seuve molâ falsâ. Laus ea prima tua.
Pergito. Posce Deos veniam. Confvesce litando
Divæ. Deîn Divæ præmia laude feres.

Favente calamo

f.

PRÆSES.




Ad Politissimum Dn. Respondentem.

Justitiæ & Juris dum, Jane, tueris honorem
Iustitiæ & Juris te comitatur honor:
Nam qui Justitiam cum Jure decenter honorat,
Præmia Justitiæ, præmia Juris habet.

Weil Ihr das Edle Recht gedencket zubeschützen/
Wird Euch des Rechts Lob und Ruhm entgegen
gehn/

Denn wer um seinen Ruhm kan unermüdet schwitzen
Der wird in Ewigkeit mit ihm zu gleiche stehn.

MARTIN BAMBAM. Juris Stud.



Jus Civile refert scriptum vigilantibus esse
Scævola, non illi quem sopor altus habet.
Hic quasi monstravit sub imagine sacra Themistos
Non nisi sollicitâ sedulitate capi.

Hoc

hoc quoq; tu juris lentis induitrie cultor,
Dum Jus de Cathedra Justitiamq; doces.
Gratulor Eunomies quod Lux Sithmannus ad artes
Dux Tibi, quem sequitor, Teq; sequetur honor.

Sic applaudebat
Politissimo Domino Respond:
Johannes Lobedani Lufatus.

IN bello sicut pugnando fortiter instans
Miles præ reliquis præmia digna capit:
Sic tua sedulitas capiet quoq; munera laudis
Quæ sunt non ullò commoritura die,
Si modo solerti studio conscendere pergas
Callem virtutis, *Symmache chare, gravem.*

Ita amicissimo suo populari ex animi mente
applaudere voluit festinanter


Gothofredus Schnitterus
Zittâ Lufatus.

NÆ prudenter agis dum Jus defendis, Amice,
Justitiamq; Tuo percolis ingenio.
Gratulor ergò tuis, ceu fas, conatibus orsis,
Gratulor ingenuo, gratulor ingenio.
Perge ita *juridicæ* penetrare sacraria Divæ,
Sic eris in patrio *lucida gemma* solo.


Sic egregio & industrio juveni amico suo
singulariter colendo, applausum &
amorem suum deproperabat


Jacobus Reinhold St. Pom.


os (o) so
9











VVLGO DIATO die Klapper-Jagd. 433

§. XI.
Quodsi igitur in iudicio petitorio (a) super ipso ita
di iure controuersia mouetur, is, cui solum inferi-
a minor, aut media, venatio data est, a nostro ve-
modo se abstinere debet in locis, vbi ferae maio-
bentur. Is autem, qui duntaxat superiori, siue ma-
audet venatione, tali, vice versa, vti nequit in lo-
i ferae minores, aut mediae, subsistunt. Ratio as-
uius in promptu est, qui alterius ferae per eiusmo-
ationem disturbantur, et in aliena loca extra ban-
erinum transfugiunt (b). Non debet autem alteri
per

orum numerus praeter necessitatem non sit augendus, si-
lem id quoque non facile permittitur, vt, praedio, cui
venandi cohaeret, inter plures possessores diuiso, in lo-
vnius iaculatoris, qui ante factam diuisionem fuit, postea
es substituuntur. Vid. Mandata Regis Prussiae d. 9. Maj.
4. d. 10. April. 1709. d. 8. Mart. 1712.

Actiones, quibus partes litigantes in iudicio petitorio ex-
antur, sunt Confessoria et Negatoria vtilis.

Audiamus ante, quam vltius progredimur, ipsosmet ve-
res, quibus potissimum in sua arte credendum est. Huc
me faciunt tria luculenta testimonia, quae sequentibus
s concepta sunt:

Steuer der Wahrheit attestire ich Endes, Unterschriebener
l. Schwarzburgischer Ober-Förster hiermit auf Begehren,
das so genannte Klappern oder Klapper-Jagen, wenn
E
nehm.